

## ONANISMI REMEDIUM

Inter graviores difficultates quas invenit confessarius conjugum, qui ob timorem prolis vel numerosioris prolis recurrunt ad onanismum ea est sanare eos a tam exitiali vitio: copula uti volunt sed non debito modo, ut Deus exigit.

Quando confessarius aliter eos sanare non potest, poterit illis insinuare ut juxta sententiam gravissimorum medicorum sunt plures dies in quibus copula conjugum potest recte exerceri sine ullo periculo proli. Copula autem debito modo uti illo tempore nullo iure prohibetur, nec alicubi prohibetur alio tempore a copula mutuo consensu abstinere. Unde S. Paenit., 16 iun. 1880, respondit: "Coniuges praedicto modo matrimonio utentes inquietandos non esse, posseque confessarium sententiam, de qua agitur, illis coniugibus (caute tamen) insinuare, quos alia ratione a detestabili onanismi crimine abducere frustra tentaverit".

Quinam sunt dies in quibus copula erit sterilis, quinam in quibus erit fecunda? Ut clarius quae dicturi sumus intelligantur, aliqua praemitti oportent de ovulatione et menstruatione.

Circa ovulationem, menstruationem et fecundationem factae sunt recentes, ab anno 1929-1930, accuratissimae investigationes, prout natura rei patitur, a diversis medicis, praesertim a Doctore Ogino in Japonia, et a Dre. Knaus in Austria. Quamvis independenter unus ab alio processerit, substantialiter fere ad easdem conclusiones pervenerunt, et plurimorum aliorum medicorum assensum obtinuerunt et in dies obtinent. Videri possunt *can. Valere J. Coucke and James J. Wala, M. D. Ph. D., The steril period in family life; Leo J. Latz, A. B. B. S., M. D., The rhythm of Sterility and Fertility in women; Dr. J. N. J. Smulders, De la continence périodique dans le mariage; P. Herymeijer, S. J., Sur la continence périodique considérée au point de vue moral; Dr. de Gushteneere, Des variations cycliques de la fécondité féminine; P. Hürth, S. J., De sterilitate physiologica (apud Nouvelle Revue Théologique, 1931, pag. 673 seq.). Cfr. infra, n. 1267.*

*Ovulatio* est veluti initium et terminus a quo cycli menstrui mulieris. Ovulationem sequitur efformatio *corporis lutei*, quod suis secretionibus *internis* (simul cum aliis causis) efficit praeparationem uteri (dispositio praemenstrua), ut, si intervenerit fecundatio, implantatio ovuli apte fieri possit. — Implantatione facta, ovulum suo influxu efficit transformationem corporis lutei *spurei*, seu menstruationis, in

corpus luteum *verum* seu graviditatis, quod impedit menstruationem, et quandiu viget, ulteriorem ovulationem. — *Implantatione* non facta, post plures dies (circiter 14), incipit degeneratio corporis lutei, quae coepta eius influxus in uterum cessat, unde sequitur *menstruatio* seu fluxus extra uterum et vaginam illius sanguinis communis, qui, statim ac urget decissio ex ovario alicuius ovuli, fuit abundantius ad genitalia seu uterum, et calore suo ad magnum ovulationis opus rite perficiendum concurrat. — Menstruatio haberi solet vigesimo octavo quoque die ex regula generali; sunt tamen feminae in quibus recurrat vigesimo tertio aut vigesimo quarto usque ad trigesimum. Inde diversitas cycli menstrui. Ovulatio et menstruatio habentur iuxta regulas physiologicas, sive femina copulam habeat, sive non, etsi castissima sit; idque a tempore pubertatis usque ad aetatem criticam (fere in nostris regionibus ad annum 45), in qua menstrua cessare solent. Menstruatio est signum, ovulum praecedens aut fecundatum non fuisse aut fecundatum vitalitatem non retinere, sive ex naturali aliquo accidenti, sive ex procurata machinatione.

Copula autem, iuxta opinionem hodie magis fundatam et fere moraliter certam: a) erit omnino sterilis si habita sit aliquo ex undecim diebus ante futuram menstruationem; b) immediatis *octo diebus ante hos undecim* copula, quae in aliquo ex ipsis habeatur, certe fecunda cum maxima probabilitate esse poterit; c) habita in aliquo ex *quatuor diebus hos octo* immediate antecedentibus erit dubiae fecunditatis (*Ogino* dicit certe futuram sterilem); d) reliquis diebus, si qui sint (1), inter hos quatuor et *praecedentem* menstruationem, erunt copulae, in illis habitae, certe steriles. Vide *tabellas* in fine huius num. positas.

Antea plures medici, v. gr. *Capellmann* et alii, dicebant copulam futuram sterilem quae haberetur inter diem 14 post ultimam menstruationem, et 4 ante futuram menstruationem. Ipse *Capellmann*, tum ex propria medica experientia tum ex aliorum medicorum, asserebat probabilitatem generationis ex copula habita illis diebus intermenstrualibus ita tenuem esse ut revera nulla dici possit. Dies septem ex designatis a *Capellmann* in quibus copula erit sterilis iuxta suam senten-

---

(1) Dicimus *si qui sint*, nam si cyclus menstruus sit 23 dierum, nullus erit; erunt vero 1, 2, 3, 4, 5, 6, vel 7 respective si cyclus sit 24, 25, 26, 27, 28, 29 aut 30 dierum. Normalis est 28 dierum. Cycli menstruationis differunt numero dierum quae ovulationem antecedunt, non vero numero dierum qui eam sequuntur; hi enim numero semper aequales sunt.

tiam, etiam ab *Ogino* et *Knaus*, auctoribus et propugnatoribus novae sententiae, habentur uti tales, scilicet septem priores ex illis undecim ante futuram menstruationem, saltem si cyclus menstruus sit 25 aut plurimum dierum.

Ut fecundatio haberi possit, duo requiruntur: a) simultanea coëxistentia in organis internis mulieris ovuli eiecti iam ex folliculo Graafii et spermii; b) simultanea fecundabilitas utriusque elementi, sive activa sive passiva. — Fecundabilitas ovuli non durat ultra 24 horas; fecundabilitas spermii, non ultra 48 horas, quamvis post hoc tempus adhuc retineat vim se movendi. Duabus saltem horis post copulam habitam spermia iam venerunt in tubas et ovaria.

Supposito cyclo 28 dierum, ovulatio, iuxta *Knaus* in recentissimo suo libro, *per se* accidit die 14 post coeptam *ultimam* menstruationem, qui dies est 15 ante primum diem futurae menstruationis; iuxta *Ogino*, inter 12-16 ante futuram menstruationem. Igitur parva est differentia inter opinionem ipsius *Knaus* et illam *Ogino*.

Exacte seu mathematice non cognoscitur sed tantum aproximative dies ovulationis, nec duratio fecundabilitatis ovuli et spermii; secus abstinencia a copula ad vitandam generationem non esset necessaria ultra quinque dies, i. e. tres dies ovulationem antecedentes et unum diem eam subsequentem.

*N. B.* Plures indicationes fieri possent de causis cyclum aliquantum mutantibus, de necessitate cyclum accurate dignoscendi, etc.; sed magis haec videntur, ad medicum remittenda. Quae hic dicta sunt videntur sufficere pro confessario, qui responsum S. Paenitentiariae hic adductum praë oculis habeat *quoad omnes et singulas partes*.

#### TABELLÆ CYCLORUM MENSTRUORUM

##### TABELLA I (\*)

##### *Cyclus 23 dierum*

<i>I</i>	<i>II</i>	<i>III</i>	<i>IV</i>	<i>V</i>	<i>VI</i>	<i>VII</i>
VIII	IX	X	XI	XII	13	14
15	16	17	18	19	20	21
22	23					

(\*) In his tabellis num. romani in tipo recto expressi significant dies *fertilitatis*; in cursivo *dubiae fertilitatis*; arabes vero, dies *sterilitatis*.

TABELLA II

*Cyclus 24 dierum*

I	II	III	IV	V	VI	VII
VIII	IX	X	XI	XII	XIII	14
15	16	17	18	19	20	21
22	23	24				

TABELLA III

*Cyclus 25 dierum*

I	2	III	IV	V	VI	VII
VIII	IX	X	XI	XII	XIII	XIV
15	16	17	18	19	20	21
22	23	24	25			

TABELLA IV

*Cyclus 26 dierum*

I	2	3	IV	V	VI	VII
VIII	IX	X	XI	XII	XIII	XIV
XV	16	17	18	19	20	21
22	23	24	25	26		

TABELLA V

*Cyclus 27 dierum*

I	2	3	4	V	VI	VII
VIII	IX	X	XI	XII	XIII	XIV
XV	XVI	17	18	19	20	21
22	23	24	25	26	27	

TABELLA VI

*Cyclus 28 dierum*

I	2	3	4	5	VI	VII
VIII	IX	X	XI	XII	XIII	XIV
XV	XVI	XVII	18	19	20	21
22	23	24	25	26	27	28

## TABELLA VII

*Cyclus 29 dierum*

I	2	3	4	5	6	VII
VIII	IX	X	XI	XII	XIII	XIV
XV	XVI	XVII	XVIII	19	20	21
22	23	24	25	26	27	28
29						

## TABELLA VIII

*Cyclus 30 dierum*

I	2	3	4	5	6	7
VIII	IX	X	XI	XII	XIII	XIV
XV	XVI	XVII	XVIII	XIX	20	21
22	23	24	25	26	27	28
29	30					

(Tabellae desumptae ex Opusculo cui titulus est *The sterile period in family life* by VERY. REV. CANON VALÉRE J. COUCKE Professor of Morall Theology, Grand Seminary of Bruges and JAMES J. WALS, M. D., PH. D.)

Cum haec lues onanismi coniugalis latius in dies serpat etiam sub praetextu scientifico et damna quamplurima animabus inferat, immo periculum gravissimum pro familia ac pro ipsa societate et bono publico iam constituat, parochi et confessarii (ut medicos aliosque omittam) tenentur obligatione *gravissima* huic malo obstare, sive instruendo futuros coniuges, sive coniuges interrogando prudenter in confessionali et clare aperteque interrogationibus penitentium in confessionali respondendo, ne confessarii vel parochi silentium confirmet paenitentes in suo modo procedendi.

J. B. FERRERES.